

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Samuelis De Cocceji, Henr. Fil. Sacræ Regiæ Majestatis
Borussicæ Magni Cancellarii, A Consiliis Sanctioribus
Status Et Rei Bellicæ, Ordinis Nigræ Aquilæ Equitis Etc.
Jus Civile Controversum Ubi ...**

Opus Ad Illustrationem Compendii Lauterbachiani ...

Cocceji, Samuel von

Lipsiæ, 1766

LIB. XXVIII. TIT. VIII. De Jure Deliberandi.

urn:nbn:de:gbv:45:1-9050

quod vitæ tribuitur, hæres est; posteriori casu, si Titium, cum *Sejus morietur*, instituit, est pro conditione; quia incertus est, an sit exliturus: nam præmori Titius, eoque deficere conditio potest.

LIB. XXVIII. TIT. VIII.

DE JURE DELIBERANDI.

Qv. I. An (α) nemine urgente semper deliberare possit hæres; Et (β) quinam urgere possint?

RESP. Ad (α) Hæredem semper & in perpetuum deliberare posse, *Laut. pag. 498. verb. Quamdiu nemo urget &c.* tum, quia est res meræ facultatis, cui nunquam præscribitur; tum quia ad id, ut quis lapsu temporis jure suo excludatur, requiritur contradictio partis adversæ, quæ cessat, si nemo sit, qui urget.

Obj. *L. 7. C. de Pet. haer.* ubi hæres post 30. annos excluditur ab hæreditatis petitione.

RESP. Verum hoc est, ubi tertius aliquis possidet hæreditatem, & hæredem negligentem a jure suo excludit: secus autem, si nemo hæreditatem possideat, tunc in infinitum hæres deliberare potest.

RESP. Ad (β) Urgere possunt (1) *creditores*, quo pertinent *legata-arii & fideicommissarii*, ad eum effectum, ut hæreditas habeatur pro adiuta, ipsisque ex bonis hæreditariis satisfiat. *L. f. §. p. C. de Jur. delib. si vero intra hoc spatium*
(2) *Hæredes legitimi & substituti* ad eum effectum, ut hæreditas pro repudiata habeatur, ipsique in locum hæredis deficientis succedant. *L. &c. 69. ff. de Acq. haer. Laut. h. t.*

DE BENEFICIO INVENTARII.

Qv. II. An jurata specificatio fit loco inventarii?

NEGATUR: Nam (1) in jure certa forma inventarii confectioni præscripta est: & huic negotio beneficia quædam indulta sunt, quæ ad alia negotia citra legis dispositionem extendi non possunt. Accedit (2) quod omnis fere fides, quæ tota ratio illorum beneficiorum est, in jurata specificatione cesset, utpote ubi non fit consignatio, quæ requiritur in confectione inventarii, *L. f. §. 2. C. de Cocc. J. C. P. II.*

Qq

Benef.

